

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

# DOMINICA INVOCAVIT.

Textus.

*Historia Passionis Dn. nostri Jesu Christi, secundum quatuor Evangelistas.*

## EXORDIUM.

**H**odierna Dominica antiquitus appellata est *Invocavit*, quia olim in Ecclesia Latina in Introitu cantarunt ex Psal. 91. v. 15. *Invocavit me, & exaudiam eum.*

Nos quoque *Invocavit nostrum* celebremus, non modo tempore hoc Quadragesimali: sed & sine intermissione, imo singulis momentis, sicut præsens Evangelium, quod pii Veteres in præsentem Dominicam ordinarunt, nos admonet. Ex quo producimur.

I. *Triplicem Querelam*, considerantes

1. *Christianorum fortunam.* Statim post baptismum optimus Servator à Spiritu sancto ductus est in desertum, ut à Diabolo tentaretur. Idem evenit piis Christianis, ut continuo post susceptum Baptismum cum Diabolo in arenam descendere, adeoque perpetuam militiam agere teneantur, Job. 7. v. 1.

2. *Solitudinis noxam.* Christum in deserto solum agentem, tentator accessit. Ita adhuc hodie solitudinem usui suo inservire novit. Propterea genuini Christiani sedulo ædem Domini frequentare, nec collectionem suam deserere debent,

Hebr. 10. v. 25. Væ namque soli, Eccles. 4. v. 10. Exod. 20. v. 44.

3. *Multiplicem vexam.* Triplici enim tentatione Servatorem adoritur, primo diffidentia, secundo superbia & præsumptione, tertio avaritia & ambitione. Ita nec hodie Satanas feriatur, sed omnibus modis tentat, quomodo nos ad peccata seducat. Est enim mille artifex, qui retia sua explicat, instar Venatoris, feris insidiantis, Plal. 91. vers. 3.

II. *Triplicem Medelam*, quæ floit

1. *Ex Christi jejuniis.* Hoc ipso enim Protoplastorum immoderatam ingluviem expiavit, Gen. 3. v. 6.

2. *Ex Diaboli præcipitio.* Dixit enim ad eum Servator: Apage Satan, & statim eum relinquere coactus fuit. Cum fortis armatus custodit atrium suum & c. Luc. 11. v. 21. 22.

3. *Ex Angelorum servitio.* Secedente enim Diabolo, Angeli accesserunt & ministrarunt ei. Et adhuc hodie sunt administratorii Spiritus, Hebr. 1. v. ult.

III. *Triplicem Cautelam*, tribus Regulis inclusam, quarum

I. *Crucis*

## Exegetis.

1. *Crucem tibi ne fabrica.* De Christo dicitur, quod ductus fuerit in desertum à Spiritu, Spiritu nempe sancto, ut Lucas addit. Ita nemo sibi ipsi crucem imponere, sed tamdiu expectare debet, dum Deus eam immittat, hic enim est, qui onus imponit nobis, sed & Salus nostra est, Psal. 68. v. 20. 21.

2. *Scripturam diligenter pondera.* Hic Christum semper ad Scripturam se referre audimus, quando eterna vice inquit: Ita scriptum est. Ita & nos ductum Scripturæ in vita & doctrina velut normam sequamur, juxta illud: Ad legem & Testimonium, Esa. 8. v. 20.

3. *Cum Christo jejuna.* De illo enim Evangelista memorat, quod quadraginta dies & noctes jejunaverit. Hoc nemo mortalium imitari potest. Ideoque nobis ad imitandum non proposuit. Interim non peccatur, si statis temporibus cibo potuque abstinemus, si cultus vel meriti opinio non accedat. Licet enim omnia fecerimus, tamen servi inutiles sumus, Luc. 17. v. 10.

Hæc brevis idea hodierni Evangelii est, quomodo pro instituti ratione explicari possit. Quia vero temporis ratio flagitat, ut passionis Dominicæ meditatione occupati simus, ideo sine longiori præambulo ad eam tractandam nos conferemus, propositione triplici jam explicaturi

I. *Passionis Dominicæ intimationem.*

II. *Agni Paschalis præparationem.*

III. *Symbolicam ultimæ recordationis manifestationem.*

¶

**Q**uemadmodum Dominus Messias ait: Ecce venio, Psal. 40. v. 9. ita etiam in plenitudine temporis ultro Hierosolymis apparens, hostibus suis obviam processit. Hinc Theophylactus: Si nolisset pati, utique devitasset, quia præsciebat. Sicut id in prima textus parte nobis innotescit, ubi quadruplex intinatio, qua passio Christi indicatur, nobis proponitur. Præcedit enim

1. *Intinatio verbalis*, ita enim Servator: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Ubi observanda

1. *Patientis Persona*, quæ hic appellatur *Filius hominis*, qui tamen in una Persona *Θεὸς υἱὸς γεννητὸς* est. Totus enim Christus pro nobis passus est, & sanguinem profudit, secus enim passio ejus nihil nobis profuisset. Frater enim redimendo non redimet quenquam, Psal. 49. v. 8. Sed sanguis Jesu Christi, Filii Dei emundat nos ab omni peccato, 1. Joh. 1. v. 7.

2. *Temporis nota*: passus enim est Paschate Judæorum, quod alias festum azymorum vocatur: hoc ideo factum, ut indicaret, se verum agnum paschalem esse, ad quem ceteri omnes collinearint. Etenim Pascha pro nobis immolatus est Christus, 1. Cor. 5. v. 8.

3. *Mortis forma*, quæ intimatur

1. *Per traditionem.* Tradetur enim, nempe gentibus, Luc. 18. vers. 32. Judæi enim salutem à se rejectam gentibus tradiderunt, ut & ipsæ partem cum Christo haberent,

rent,